

PRAEFATIO

AMPLISSIMO SENATORVM
ORDINI CIVITATIS NORICÆ DO-
minis prudentissimis IOANNES SCHONERVS
Caroloftadius S. P. D.



*Vita et mors
ut videtur a fine*

Strologiam olim, P. C. non nisi apud summos Reges in
precio fuisse, nemo qui temporum legerit historias, igno-
rat. Sublimior enim ea cognitio habita est semper, quam
vt vulgi humilitas ad eam ascendere posset vnquam. Nā
nascendi, moriendiq; causam ex motu prouenire cœli,
tanquam occasum ab ortu, aut finem ab initio, à non nisi summis
ingenijs percipitur satis. Quinetiam vniuersa illa rerum natura,
quid aliud est, quam ordinata quædam, sibiq; semper constans im-
mutatio, atq; conuersio? Quid illa rerum cum generatio, vt vocant,
tum corruptio; quid deniq; vita & mors est animantium, quam qui-
dam ab initio ad finem vsq; motus? Præterea quid motus ille cœli,
tum stellarum aliarum radiationes mortalium generi præstent, ex
ipsius Solis & Lunæ motibus existimare licebit. Sol enim non sem-
per easdem & simul æquales in corporibus nostris excitat qualita-
tes, sed pro ea regione cœli quam peragrat, dum est aut propinqui-
or aut remotior à conspectu nostro, agere manifestissime compro-
tur. Quare cum hæc ita esse intelligerem, operæ precii me facturum
existimaui, si motus cum errantium, tum fixarum stellarum, earum-
demq; longitudines, & latitudines: itemq; coniunctiones, opposi-
tiones & aspectus luminarium & planetarum adinuicem: Deniq;
etiam rationem æquationum duodecim domorum cœli, iuxta mo-
dum omnino rationabilem, quo vsus est iam ante nos vir calculis
doctorum omnium incomparabilis Ioannes de Montereio, in lu-
cem ederem: quæ nunc omnia cura & diligentia mea non solum es-
mendatiora, sed & iusta laboris mei accessione locupletiora, auctio-
raq; habere possunt scholæ. Etenim hunc laborem meum & scholis
nostris prodesse ratus sum plurimum, dum eo ingenia iuuentutis
præclara, ad præclarissimum (vt ita dicam) deorum munus pertinens
ei studio persequendum inuitarem, & eos qui alioqui sua sponte
Mathes